

B.M. II, 352.
h. 68, 17

(X1876259)

II R
938

Dissertatio Juridica
DE

LEGATIS,

QUAM

Qvæsitâ Sapiëntia divina,

ET

Nobilissimo Jctorum Collegio consentiente
PRÆSIDE

*Viro Admodum Reverendo, Nobilissimo, Amplissimo
atq; Consultissimo*

DN. FRANCISCO ROMANO,
J. U. D. Cod. P. P. Canonico Martisburgi, Cu-
riæ Provincialis, & Facultatis Juridicæ Assessore,
Academiæ inclytæ Syndico gravissimo, Patrono, Promotore ac
Affine omni observantiâ perpetuò devenerando.

Publicæ ventilationi proponit

GODOFREDUS Herttel / Lips.
A. & R.


Ad diem Januarii

In Auditorio Jctorum Petrino
horis solitis.



LIPSIÆ,

LITTERIS CHRISTIANI MICHAELIS.
Anno M. DC. LIX.



3

10



L. D. B. V.

THESIS I.

De

Homonymiâ Legatorum.

Detractaturo mihi jam jam utilissimam hanc
atq; amplissimam Legatorum materiam, ne-
cessariò priùs ab ejus homonymiâ, variaqve si-
gnificatione atqve respectu, cujus in jure no-
stro civili mentio fieri solet passim, auspican-
dum esse visum fuit. Accipitur autem Legati
vocabulum. 1. Generaliter & latissimè, quomodò usurpatur
de omnibus illis, quæ in testamentis, aut aliis ultimis volunta-
tibus disponuntur, & tunc non tantùm hæredis institutionem,
legatorum, tutelæ & libertatis dationem. *l. in generali. 80. l.*
verbis legis. 120. ff. de verb. signif. Sed & fideicommissum sub suo
amplexu comprehendit. *l. uxorem. 41. §. legaverat. 6. l. & fidei-*
commissum. 87. ff. de leg. 3. 2. Specialiter & strictissimè pro iis,
quæ directò particulariter relinquuntur, & tunc restringitur
ad certam quandam & specialem testatoris dispositionem,
quæ in donatione quadam ex mera liberalitate testatoris
proficiscente consistit, prout etiã hoc loco accipitur, & *in l. 36.*
ff. de leg. 2. Nam sicuti in donatione tum inter vivos, tum mor-
tis causâ liberalitas & munificentia quædam versatur, atqve
exercetur nullo jure cogente, ita & in Legato. *l. Rem legatam.*
18. ff. de adim. leg. Quo posteriori modo si accipiatur, tunc iterùm
significat vel rem legatam, ut frequentissimè in jure nostro; vel
titulum, ut in titulo pro legato; Vel ipsum legandi actum, de
quâ in hæc nostrâ sequenti definitione, *Baccov. ad Trentl. D. 13.*
th. 1. L. B.

THESIS II.
De
Definitione.

Præmissâ jam nominali Definitione, realis quoque attendenda venit, cum sine illâ res neque accuratius perlustrari, neque intelligi possit, quid sit id, de quo disputetur, secundum Cic. lib. 1. Offic.

Definitur autem Legatum secundum mentem Justinian §. 1. Inst. de Leg. Quod sit donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda. Ponitur verò in hac definitione loco generis donatio, ut & in l. 36. ff. de Leg. 2. Ex merâ enim liberalitate proficiscitur. l. Rem legatam. 18. ff. de adim. leg. Et nullum incommodum, sed lucrum tantum ut pura donatio in se continet, secus quam hæreditas, quæ & lucrum & onus habet. l. si hæreditatem. 32. ff. Mandati. l. hæreditatis. 119. ff. d. V. S. l. 1. ff. de bonorum possess. Sed cum donationis vocabulum variè in jure nostro sumatur, ideò in præsentî quoque definitione per vocabulum quædam non ineptè restringitur, sub suo amplexu singularem quandam donationis speciem comprehendens; Largo enim modo legatum dicitur donatio, & in genere, nam cum à liberalitate & munificentia nullo præcisè necessitatis impulsu permotâ proveniat, dubium non est, quin generali donationis verbo contineatur, l. 1. pr. ff. de donat. l. alienatum 67. §. 1. ff. de verb. signif. Dicitur porrò in traditâ definitione, quod Legata à defuncto relinquere debeant ac soleant, quibus verbis perspicuè secernitur à donatione inter vivos, quæ perficitur à vivente, non relinquitur à defuncto, in hac enim necessitas traditionis incumbit donatori, ut patet arg. l. si quis. 35. §. 3. C. de Donat. In illâ verò non, cum donatarius rem donatam antè mortem testatoris non consequatur, eaque demùm post illam, uti omnia Legata, effectum suum capiant, §. 1. Inst. de Leg. Quod attinet ad illa verba in definitione apposita, ab hærede præstanda, sunt quidem nonnulli in hac opinione ea tanquam spuria tollenda esse, ceu putat Hotomannus, Wesenb. Giphanius, & alii, cum neque in Digestorum libris
eorum

eorum mentio fiat, & sæpè legata ab ipso testatore non ab hæ-
rede præstari soleant, sed illa ab Imperatore rectè adjecta &
nos existimamus, cum in Definitionibus & toto Jure spectan-
dum sit id, quod ut plurimum accidit, jam verò plerumqve le-
gatum ejusqve possessio tradenda est legatario ab hærede,
quamvis dominium ipso jure recta viâ à defuncto transeat in
legatarium, etiamsi rem legatam nondum comprehenderit. *l.*
Legatum. 80. ff. de Leg. 2. Et quanquam Legata ab ipso testa-
tore præstari nonnunquam soleant. *l. Lucius. 22. ff. de Leg. 2. l.*
filia. 11. C. de Leg. Id tamen fit per accidens, & præter natu-
ram Legatorum, quæ ita semper relinquuntur, ut ab hærede
præstanda veniant. *Donellus lib. 8. c. 1.* Relinquendi enim ver-
bum proprium est defunctorum. *l. 1. §. 10. ff. de tab. exhib. l.* Sed
et si. 22. ff. de Usufr. Accidit, quod illud Legatum ab ipso testato-
re præstitum non tam quàm legatum, quàm quàm donatio inter
vivos præstita intelligatur. *Hillig. ad Don. d. c. 1.*

THESIS III.

De

Causa Efficiente.

Absolutâ nunc Definitionis tractatione ad ipsam cau-
sam Efficientem me converto, quam duplicem statuere pla-
cet, Remotam & propinquam. Remota est Jus Civile. *l. Ver-
bis. 120. ff. de V. S.* Undè triplex quoqve datur actio pro lega-
to consequendo. *l. 1. C. Commun. de Leg. 1.* Est actio persona-
lis. *d. l. 1. §. 2. J. de Leg.* quæ rursus vel civilis est. *l. si credito-
ri. 28. pr. ff. de leg. Vel stricti juris per se. l. in actionibus. 5. §. ult.*
l. 6. ff. de in lit. jur. si scilicet certum petatur *l. certi conditio. 9.*
§. 1. ff. de rebus creditis. Vel arbitraria, quatenus incerti agitur.
l. si sic. 75. §. 3. & 4. ff. de leg. 1. l. 1. de usufr. leg. l. non solum. 8. §.
6. ff. de liber. leg. Oriturqve hæc actio ex testamento, cum per
aditionem hæreditatis, legatarius habeat hæredem obliga-
tum ex quasi contractu. *§. hæres quoque. 7. de Oblig. quæ ex qua-
si contract.* Hæres enim adeundo hæreditatem dicitur quasi

contrahere sicut cum aliis creditoribus, debitoribusque ita & cum legatariis, quæ obligatio producit actionem personalem. *arg. l. licet. §. 2. ff. de procur.* 2. Est actio in rem, sive rei vindicatio. *d. §. 2. & d. l. 1.* quæ legatario tanquam domino rei legata. *l. à Titio. 64. in fine ff. de furtis.* adversus quemcumque possessorem datur. *l. actionum. 25. ff. de Oblig. & actionibus. l. Servo. 69. §. 1. ff. de leg. 1.* modò res legata fuerit testatoris propria, non aliena, cum alienæ rei dominium testator quod non habet, transferre non potest. *l. nemo plus. 54. ff. de Reg. Juris.* & talis, ut suâ naturâ vindicari possit. *l. 1. C. comm. de leg. h. e.* si legatum sit in specie certa, s. in individuo, non in genere, vel quantitate, quia tunc propter incertitudinem non transfertur dominium, nisi factâ declaratione. *l. huiusmodi. 84. §. 9. ff. de leg. 1.* 3. Est actio hypothecaria, s. utilis Serviana, quæ datur legatario ratione tacitæ hypothecæ, quam habet in bonis defunctorum. *l. 1. C. comm. de leg.* quâ petit rem quasi sibi pignoratam vel hypothecatam; quod tamen ita intelligendum est, Legatarium habere hypothecam non quidem in re sibi legato relicta, cuius dominium ipso jure habet, nec enim cuiquam res sua pignori vel hypothecari potest. *l. neq. pignus. 45. ff. de R. J. nec in bonis hæredis.* in quibus tamen si post sex menses non solvat hæres, missio fieri potest, & pignus prætorium constitui. *l. Is cui. 5. §. 16. ff. ut in possess. leg. l. certa est. 6. C. eod.* Sed in reliquis rebus à defuncto relictis. Propinqua est benigna voluntas testatoris tanquam regina regens ultimas voluntates. *l. in conditionibus. 19. pr. ff. de Condit. & Dem.* quem in conjunctis ipsa propinquitas ad hoc impellere videtur. *l. servus communis. 38. ff. de Donat. inter virum & c. l. si servus. 50. §. 3. ff. de legat. 1.* In extraneis verò meritum aliquod legatarii. *l. nec adjecit. 9. ff. pro socio,* quod quidem exindè collegi posse videtur, cum legatarius honore & beneficio per collationem legatorum afficiatur. *l. sed & si §. 2. L. filium. 5. §. 6. ff. de leg. præst. l. fideicommissa. 11. §. 12. D. de Leg. 3. l. Divus Claudius. 15. pr. D. ad L. Cornel. de falsis. l. 1. C. comm. de Leg.* Veteres enim honori ducebant, si quantumlibet modicum supremo morientis articulo sibi relinqvebatur. *all. l. 5. §. 6. ff. de Leg. præst. l. sed etsi.*

§. 2.

§. 2. ff. de judic. Ut è contrariò injuriosum, atque turpe putabant parentum aut amicorum testamento prætermitti. Jam verò indignus non afficitur honore ac beneficio, semperque præsumitur liberalitas conferri in meritum, ut pœna in demeritum.

THESIS. IV.

De

Subjecto.

Subjectum legatorum duplex est, activum & passivum; Subjectum activum est ipsa persona testatoris, seu legantis, de quâ talem proponimus regulam: Non solum novo sed & antiquo jure eos legandi facultatem habuisse, qui jure testandi præditi fuere. l. sciendū. 2. ff. de leg. 1. l. 1. per totam. ff. de leg. 3. Ulp. in fragm. tit. 25. §. fideicommissum. 30. l. Filiusfamilias. 114. pr. ff. de leg. 1. Vultejus. lib. 1. Jurispr. for. cap. 76. fol. 333. fac. 2. Quapropter non rectè legant i. ii, qui de statu suo dubitant. l. qui in testamento. 14. & 15. ff. qui testam. facere possunt. l. 1. ff. de Leg. 3. Nisi sit miles. L. ex militari. 11. §. si miles. 1. ff. de milit. testam. l. Aristo. 9. ff. de jure Codic. 2. Filiusfamilias. l. 1. ff. de leg. 3. l. qui in potestate. 6. ff. qui testam. fac. Licet sui juris factus decesserit. l. si filiusfam. 19. ff. qui testam. fac. Jure enim civili nihil habet proprii, cum omnia, quæ ad illum perveniant, illa non sibi, sed patri acquirat; nisi de castrensi aut quasi castrensi peculio testetur. §. 9. 7. de Test. Ord. aut miles sit. l. filiusfam. 114. ff. de leg. 1. l. 1. §. 6. ff. ad Senatus Cons. Trebell. 3. Deportati cum neque activam testamenti factionem habeant, sunt enim ἀπόλιδες, i. e. extorres. l. 1. §. 2. 3. & 4. ff. de leg. 3. seu sine civitate. l. sunt quidam. 17. §. 1. ff. de pœnis. l. inter pœnas. 6. ff. de Interd. & releg. l. Deportatus. 15. ff. eod. Neque passivam. l. 1. C. de hered. instit. peregrini enim hæredes institui non possunt. arg. l. sed si condit. 6. §. 2. ff. de hered. instit. & arg. l. sed si 10. §. 6. ff. de in jus vocando cum testatorem, testes & hæredes cives esse oporteat. l. 1. pr. ff. ad L. Falcid. soli que cives ex testamentis capiant, Ulp. 20. §. 13.

Subjectum passivum personam Legatarii vocare lubet, quæ tali beneficio honoratur: Legari autem potest i. iis perso-

nis

nis cum quibus testamenti factio vel saltē passiva est. §. 24. §. de
Leg. Interdum tamen favore alimentorum etiam iis rectē le-
gatur, qui hæredes institui nequeunt. l. is cui annua. 11. ff. de a-
lim. & cib. leg. l. si in metallum. 3. pr. ff. de his que pro non scripte.
Quæritur autem hoc loco? An sicut Legatum potest fieri & re-
linqui cuilibet personæ, ita etiam Universitati, civitati, vel cui-
libet populo! Et dicendum est, tale legatum valere, & com-
petere ipsi Reipublicæ vel Rectoribus actionem personalem
vel realem pro tali legato consequendo; per textum expres-
sum. in l. si quid relictum. 117. l. civitatibus. 122. ff. de leg. 1. l. mu-
nicipibus. 97. ff. de Condit. & Dem. l. Legatum. 16. ff. de Usufr. leg.
2. Personis incertis. §. 27. §. de Leg. l. 1. C. de incert. pers. quod
tamen de jure antiquo haud valebat, adeò quod neque liber-
tas incertæ personæ relinqui aut dari poterat. §. 23. §. de Leg. O-
mnibus porrò speciali lege non prohibitis legari potest, qua-
les sunt vel Incapaces, vel indigni, quibus si quid legatum fue-
rit, modò pro non scripto vel caduco habetur. l. si in metallum.
3. ff. de his que pro non scripte. modò ut indignis aufertur per fi-
scum. l. 1. 2. & 3. ff. de his que ut indignis. Incapaces autem in-
telliguntur, tum qui in rerum naturâ esse desierunt. l. si eo. 4.
pr. ff. de his que pro non scripte. l. 2. §. 1. ff. de jure Codic. l. Divi. 6.
§. fin. l. quidam. 14. pr. ff. eod. Vel maximam aut mediam ca-
pitis diminutionem passi sunt. l. si in metallum. 3. ff. de his que
pro non scripte. quoniam per utramque jus civitatis amittitur.
§. 1. & 2. §. de Cap. Dim. fiantque peregrini, quorum in nume-
ro censentur esse deportati, seu perpetuò banniti, quorum
paulò antea mentionem feci. l. 1. C. de Hæred. instit. Damnati
in metallum. l. si in metallum. 3. ff. de his que pro non scripte. qui
neque à milite hæredes institui, aut ex eorum testamentis le-
gata capere possunt. l. idem est. 13. §. 2. ff. de Testam. milit. Col-
legia illicita seu non approbata. l. unic. C. de incert. pers. Na-
ti ex incestuoso coitu. Auth. ex complexu. C. de incest. nupt. Li-
beri eorum, quorum pater perduellionis damnatus est. l. quis-
quis. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Majest. Non verò Judæi, quibus in
testamento Christiani legari potest, cum nullibi in Jure nostro
civili prohibeatur, quare non ergò ex testamento Christiani
Judæus

Judæus legatum capere valeret, quia permissum cenfetur quod prohibitum non est. *l. nec non. 28. §. 2. ff. ex quibus causis maj.* Aliud tamen afferendum erit, de Collegio Judæorum cui ceu Universitati nihil legari potest. *l. 1. C. de Judæis.* ob rationem, quia collegia si specialiter nō sint confirmata, hæreditatem vel legatum capere nequeunt. *l. Collegium. 8. C. de Hered. inst. Magnif. Dominus Carpz. p. 3. const. 13. D. 36. per tot.*

THESIS. V.

De

Objecto.

Perlustratis hæctenus iis, quibus jus seu facultas legandi, aut aliquid ex testamentis capiendi competebat, ad ipsum quoque Objectum, seu res, circa quas legata ferè subsistere solent, necesse est, ut accedamus. Et i. quidem nemo est, qui dubitet, legari posse tam res corporales, quam incorporales. *§. 21. J. de Leg. l. cætera. 41. ff. de Leg. 1. corporales, ut sunt fundus, vel instructus, vel nudus, l. 1. 2. 3. 5. l. 7. l. cui fundus. 21. ff. de instr. vel instr. leg. Aedes, aurum, argentum mundum, tot. Tit. ff. de auro & arg. cui tamen nullatenus annumerare lubet annulum signatorium. l. signatorius. 24. ff. de V. S. l. argumento. 25. §. 10. ff. de auro & arg. & similia. Incorporales verò, ut sunt servitutes, l. cætera. 41. ff. de leg. 1. & tot. tit. ff. de servit. leg. ususfructus, usus, habitatio, dos, nomen, actio, liberatio &c. modo in commercio hominum sint, §. 4. Instit. de leg. secus si sint exemptæ, quales sunt res sacræ, sanctæ & religiosæ. l. inter stipulantem. 83. §. 5. ff. de V. O. quæ adeò legari prohibentur, ut ne æstimatio quidem debeatur. §. 4. §. 7. de leg. Quæritur hoc quoque loco, an feudum possit legari? Et videtur dicendum esse quod sic, quia valet ratione æstimationis. arg. l. si filiusfam. 114. §. 5. ff. de leg. 1. & §. 4. Inst. de Leg. l. non dubium. 14. in fin. D. eod. 3. Nec enim adeò hominum commercio exempta sunt. arg. l. bonor. 49. & l. tantum quisq. 88. ff. de V. S. cujus gratiâ legati ratio cessaret: Imò absurdum potius ex prohibitione illâ elice-*

B

retur,

retur, cum libera testandi facultas non exigua, maximeque
juri naturali contrariantem facere videatur jacturam. *arg. l. 1.
C. de SS. Ecles.* Nec insuper quoque in alterius tertii, præjudici-
um eo ipso aliquid fieri creditur, cum illa æstimatio ab hærede
ex rebus hæreditariis, non ab agnatis ex re vel fructibus feuda-
libus præstari debeat, ob rationem quia legata onus sunt hære-
ditatis, & delibatio ejus, quod à testatoris liberalitate proce-
dit, non quotæ bonorum aliunde proficiscentis. 2. Tàm res pro-
pria testatoris, quam alienæ §. 4. *J. de Leg. l. cum servus. 39. ff. eod.*
1. De propriis rebus non est dubium, cum quisque rerum sua-
rum liber moderator sit ac arbiter. *l. cum mandati. 14. C. mandati.*
In alienis rebus ita distingvendum puto; Aut enim scivit testa-
tor, alienam rem legasse, aut ignoravit; Priori casu legatum
valet & tenetur hæres rem Legatam à domino justo pretio re-
dimere, aut, si nolit, legatario justam æstimationem dare. §. 4.
*J. de Leg. l. si domus. 71. p. 3. ff. eod. l. non dubium. 14. §. 2. ff. de
leg. 3.* Posteriori verò casu rursus distingvendum venit; Aut
enim legavit extraneo, & tunc non valet legatum, neque æsti-
matio debetur, cum testator præsumatur, si scivisset, rem alie-
nam fuisse, non legasset. *d. §. 4. J. de Leg.* Voluntates enim ho-
minum faciliores sunt in rebus suis legandis, quam alienis, ad-
eoque hæredibus onerandis. *l. fideicommissæ. 11. §. 10. ff. de Leg. 3.*
Et videtur hoc in casu ex errore potius legasse rem alienam,
quam ex scientiâ, nisi scientiam legatarius probare velit, aut
possit, cum ipsi tanquam actori onus probandi incumbat. *l. ve-
rius. 21. ff. de probat.* Accedit huc aliâ quoque ratio eaque for-
tior, quod hæres præsumptione juris adjuvetur, quæ etsi acto-
ris partes, diverso tamen modo ac respectu sustineret, onus
tamen probandi rejiceret in legatarium; *arg. l. si filius. 8.
& si pactum. 9. ff. de probat.* Ut plurimum tamen illud jus
ex circumstantiis variari solet; Nam si apud alium rei lega-
tæ possessio sit, neque in ea defunctus quicquam juris habuit,
magna causa est præsumendi pro legatario. An verò conjun-
ctæ personæ, tunc valet legatum, quia præsumitur, quod etiam-
si scivisset, tamen legasset. *l. cum alienam. 10. C. de Leg.* Intel-
ligitur autem hoc in loco res aliena, quæ prorsus nec simplici-
ter est

res est testatoris, nec hæredis; si enim testator legaret rem hæ-
redis, qui est quasi alter testator, certè illa res non erit aliena, &
ideò deberetur legatario, siue sciverit testator, siue ignoraverit,
rem esse hæredis, cum omnia jura testatoris in ipsum transeant,
adeoq; teneatur contractus, obligationes, & alia facta testato-
ris præstare, si velit hæres esse. *arg. l. cum à matre. 14. C. de rei vin-
dic. 3.* Res testatoris communis cum alio, non tamen plus juris
aut majorem partem, quam ipse habuit. *l. nemo plus juris 54. ff.
de reg. jur. l. servi. §. 2. l. si domus. 71. §. fin. ff. de Leg. 1. nec aliquem
movere debent verba fundum meum. alleg. l. 5. §. ult. ff. de Leg.
1.* in hujusmodi rei communis legato, quoniam ibi disertè re-
spondet Paulus, portionem adhuc tantum deberi, i. e. partem
quæ testatoris fuit, non alienam, quippè & verba, & mens
testatoris hic pro hærede faciunt. Verba, quia fundus meus
rectè interpretatur, quatenus meus est; Nam meum etiam re-
ctè dicitur, quod ex parte meum est. *l. in re communi. 26. ff. de serv.
pred. Urb. l. si quis. 74. ff. de leg. 3. l. 2. pr. ff. de Condit. Inst.* Mens
testatoris, quia etiam si res dubia esset, non facile crederetur te-
stator onerare hæredem suum voluisse necessitate redimendi.
l. unum. 67. §. si rem. 8. ff. de leg. 2. Quod si verò testator no-
minatim dixerit, se legare fundum Cornelianum totum s. com-
munem omnem, respondetur, utramque partem, & tam alienam,
quam testatoris deberi. *arg. L. Juliano. 68. in pr. ff. de leg. 3.*
4. Res testatoris pignori obligata creditori. §. 5. *J. de Leg.* quo
in casu rursus distinguendum venit inter scientiam & ignoran-
tiam testatoris circa illam rem pignoratam; Quod si enim scivis-
se, constat testatorem, se rem oppignoratam legasse, tunc valet
Legatum, & gravasse videtur hæredem, si verò ignoraverit,
tunc hæres non est adstrictus liberationem præstare legatario.
l. si res. 157. ff. de leg. 1. l. predia. 6. C. de fideicommiss. Valet autem
legatum rei propriæ legatarii, quam ipse alteri oppignorave-
rit, & quidem indistinctè, siue sciverit testator, siue ignorave-
rit. *l. si tibi homo. 86. pr. ff. de leg. 1.* quia testator censetur luitio-
nem legasse. Quid verò in tali casu sentiendum sit, si legata-
rius rei legatæ vivo testatore dominus sit factus, an tunc lega-
tum subsistat? Et trita illa hoc in loco adhibenda est distinctio;

Aut enim dominium rei legatae nactus fuit legatarius ex titulo oneroso aut lucrativo; priori modo aestimationem rei actione ex testamento consequi potest, posteriori vero non. §. 6. *Inst. de Leg.* Cum duae lucrativae causae in eundem hominem & eandem causam concurrere nequeant. Est enim duarum lucrativarum causarum circa eandem rem & personam concursus species liberationis. *l. omnes. 17. ff. de O. & A.* quae lex referenda quoque venit ad eas causas, in quibus res incidit in eum casum, unde incipere non potuit. §. 2. *Inst. de inutil. stipul.* Postquam enim res quae ex causa lucrativa debetur, ad creditorem pervenit ex alia causa lucrativa, coepit res ejus esse, ut jam amplius ejus fieri non possit. §. *si itaque. 14. Inst. de Act.* Idem vero non contingit, si res ad creditorem pervenit ex causa onerosa cum ille non liberetur, qui eandem rem ex causa lucrativa debet. Et licet creditor, qui rem ex causa onerosa nactus est, non minus domini jure rem habeat, quam si ex causa lucrativa nactus esset, emolumento tamen non videtur habere, eo quod nec ad eum pervenisse, secundum veterum doctrinam, qui sic definiunt, rem abesse videre ei cui pretium abest. *l. labeo. 14. ff. de V. S.* Tandem quoque res jam in rerum naturam non solum existentes, sed & quae secundum naturae ordinem futurae sperantur, legari possunt, cujusmodi sunt fructus ex fundo, foetus ex pecore, vel jumentis, & si quae ejus generis alia, *l. quod in rerum. 24. ff. de Leg. 1. & l. etiam. 17. ff. eod. 3. l. 1. pr. ff. de Condit. & D. m.* Hypocentaurum vero, mortuum redivum, item monstrum, quia aut nunquam in rerum naturam fuerunt, neque sperantur, aut secundum naturae ordinem non proveniunt, frustra legamus. *arg. §. 1. J. de inutil. stipul. l. 1. §. si ad quod. ff. de O. & A. l. si ita stipulatus. 97. ff. de V. O.*

THESIS VI.

De

Formam seu modo relinquendi Legata.

Perlustratam jam materiam seu Objecto Legatorum, ad ipsam formam seu Legandi modum nunc accedimus. Sciendum autem est non solum speciem quandam, hoc est, rem certam

tam, certumque corpus legari posse, ut Stichum, Pamphilum,
vel fundum Tusculanum, quæ Philosophis sunt individua, sed
etiam genus non expressâ certâ re ex illo genere, v. g. servum,
fundum, horreos vel equos. Quo in casu tamen distinguen-
dum venit ita, ut, si species generi subjectæ vagam & indefini-
tam habeant naturam, veluti domus, fundus, &c. *l. quod in re-
rum. 24. §. pen. ff. de leg. 1.* legatum inutile sit. *l. cum post di-
vortium. 69. §. 4. ff. de jur. dot.* nisi testator fundos, aut ædes, re-
liquerit, tunc enim id quod legatarius elegerit præstandum est.
l. si domus. 71. pr. ff. de leg. 1. Harpr. ad §. 22. Inst. de leg. n. 11. Si
verò certam & determinatam naturam, ut homo, equus, bos,
&c. Legatum omninò valeat, electioque regulariter sit lega-
tarii. *d. §. 22. §. de Leg. 1. si servus. 108. §. 2. ff. de leg. 1. l. 2. §. 1. ff. de
opt. leg.* Quæ de re vide elegantissimè differentem Schneide-
vvinum in §. 22. §. de Leg. qui paulò accuratius hanc rem expla-
nat; Sed electio ista certis inclusa est terminis, ut non optimam,
sed mediocrem eligere possit. *l. legato. 37. pr. ff. de leg. 1. Har-
precht. ad d. §. 22. n. 20. Duarenus. ad l. alleg. 37. ff. de leg. 1.* Quæ
tamen procedunt, nisi alia voluntas testatoris vel ex verbis, vel
ex qualitate personarum aliisque circumstantiis eliciatur. *l. si
servus. 50. §. fin. ff. de leg. 1. & l. 9. §. 22. §. de leg.* Secus autem fit in
legato optionis, in quo propter expressè concessam electio-
nem etiam optima res eligi potest. *l. si quis. 9. §. 1. ff. de dolo malo.
Borchhold. ad §. 23. §. de leg.* Porro, sicut hæres tam purè quàm
sub conditione institui potest. §. 9. §. de hered. instit. ita & lega-
ta non solum purè sed etiam sub conditione relinqui possunt,
imò & in diem, eumque vel certum vel incertum. *l. 1. D. de Cond.
& Dem.* Quod ad legatum purum attinet, de eo ob summam
ejus claritatem non admodum disquirendum esse censeo, in
legato verò conditionali paulò accuratius, pro cuius meliori e-
nucleatione sequentes formandi veniunt casus. Titius fecit
testamentum, inque eo filium suum hæredem instituit, legavit
autem alimenta & vestiarium uxori suæ hâc conditione, quoad
viveret cum filio hærede; uxor post mortem Titii aliquamdiu
moratur cum filio, & sic jure capit alimenta annua legata, quia
conditioni paruit, paulò post moritur filius, sicque impeditur
mora-

morari cum filio, succedente post mortem filii alio hærede, uxor ab eodem petit, ut præstarentur sibi alimenta legata quotannis, hæc verò secundus hæres ipsi præstare recusat, dicens, quod ipsi saltem sint legata hæc conditione, quamdiu paruerit conditioni huic adjectæ; cum itaque per mortem filii insecutam hodiè ulterius conditioni parere adeoque cum filio morari non possit, ideò nec alimenta quoque annua præstanda ipsi erunt. Quæritur itaque hic, an ipsi debeantur? Et respondetur ab Imperatore *in l. 1. C. de Leg.* quòd licet filius mortuus fuerit, nihilominus tamen censi mentem testatoris fuisse, ut & post mortem filii vel hæredis ei alimenta præstentur. Ratio hujus decisionis consistit 1. in favore alimentorum, cum sine his commodè vivere nemo possit. *l. verbo victus. 43. ff. de V. S. l. rogatus. 23. ff. de alim. leg.* undè hoc in casu ex præsumptæ testatoris maritali affectione censetur ad vitam ipsius legata esse. 2. potest desumi ex *l. Jure civili. 24. ff. de Cond. & Dem.* ubi dicitur, quandocunque conditio non potest impleri per factum ejus cujus interest, quod tunc habeatur pro impletâ: Cum itaque & hoc in casu non stetit per matrem, ut cum Claudio hærede morata sit, & sic factò tertii conditioni parere non potuerit, tunc habetur pro impletâ *per text. in l. si Titius. 14. ff. de Cond. & Dem.* 3. Ex hæc prætereà ratione, quia hoc legatum favore legatarie factum est, non hæredis; Quotiescunque autem legatum in favorem legatarii est introductum, tunc legatum semper debetur, etiam mortuo eo penes quem morari debuit; Secus autem est, quando tantum hæredis gratiâ, vel ejus apud quem morari debuit, legatum est, quo in casu certè morte ejus expirat legatum, cujus exemplum elegans habemus. *in l. Sejo. 10. ff. de annuis. leg.* Sed hæc procedunt saltem, si de legato in favorem legatarii factò certò constet, secus si non liquidò constaret ex testamento, num in favorem legatarii an verò hæredis alimenta, aut alia quædam legata sint, quo in casu rem iudicis arbitrio determinandam esse censeo, ut pro qualitate personarum & facultate divitiarum cognoscat, an in gratiam legatarii vel hæredis legatum factum sit, uti monet eleganter *Glossa in l. voluntatis. 7. C. de fideicommissis.* cum

& a-

& alias quaestiones defunctorum in aestimatione judicis esse so-
leant, *d. l. Voluntatis. 7.* Prædictis sese adjungit illa quaestio;
An mater, cui sub conditione morandi cum filio alimenta lega-
ta sunt, cogetur ita esse affixa ejus domo, ut nunquam possit
digredi aut decedere? Et respondetur quod non, per rationem,
quia implere conditionem morandi hoc loco intelligitur,
quando utitur mensæ communione; & ideò mater secedere &
abesse potest, modò in mensâ ut plurimum communicet. *arg.*
l. si quis. 8. ff. de Condit. & Dem. non enim omne momentum
exigendum est, ut cum liberis sit, sed sufficit, si eam mentem
seu propositum habeat, nec filium à semet dimittat, per *all. l. 8.*
Huc referenda quoque est illa quaestio: An is, cui sub conditio-
ne morandi cum aliquo legatum est relictum, ut impleat hanc
conditionem, cogatur sequi vagabundum, vel abeuntem mili-
tatum? Et respondetur, quod non, idque per textum expres-
sum in *l. illis libertis. 84. ff. de Condit. & Dem.* deinde quoque per
rationem, quia habitatio seu mansio imposita alicui pro gra-
vamine vel conditione, est intelligenda secundum statum, in
quo fuit tempore conditionis impositæ, non ut quidque pro
re natâ fuerit novatum. Unde etiam est, quod, quando is, pe-
nes quem legataria morari debuit, incipit esse ferox & savus,
ut cogatur declinare sevitiâ secessu, quod legataria nihilo-
minus debeantur alimenta legata, non aliter ac si ipsi ad dies
vitæ relicta essent, adeò ut morte hæredis non extinguantur, i-
ta nec propter sevitiâ seu crudelitatem expirent. *l. 1. ff. de*
cond. Instit. quemadmodum enim uxori propter sevitiâ ma-
riti permissum est declinare, & ab eo divertere, adeò ut ipsi ni-
hilominus debeantur alimenta in alienis ædibus commoran-
ti, ita & legataria. *arg. l. si mandatum. 14. C. de negot. gest.* Idem
quoque statuendum erit, si hæres impudicè viveret in suis ædi-
bus, adducendo juvenes in domum, ubi sit juvenis vidua vel vir-
go, ex quo famæ ipsius periculum imminet, quo in casu lega-
taria omisâ conditione habitandi, nihilominus potest petere
alimenta, quia hæc conditio morandi adjecta esse censetur,
quod impleri debeat, quamdiu non est turpis, vel impossibilis
de jure aut moribus. Quando igitur talis incipit existere, tunc
turpes

turpes conditiones habentur pro non scriptis. *l. conditiones. 14. ff. de Cond. & Dem. l. obtinuit. 3. ff. eod.* Generaliter enim ea omnia quæ sunt contra bonos mores, naturam, dignitatem, famam, s. existimationem, habentur pro impossibilibus in jure, & quæ præstare nemo obligatur, undè & vulgò dici solet, id nos posse, quod possumus commodè & salvâ dignitate. *l. filiis quis. 15. ff. de Condit. Instit.*

THESIS VII.

De

Jure accrescendi circa legata.

Unam eandemque rem duobus quoque vel pluribus conjunctim posse legari, probari potest ex *l. conjunctim. 80. ff. de leg. 3. & l. idem Neratius. 3. ff. de Usufr. accresc.* Conjunctionem autem hoc in loco sumo pro re eadem concursu dividendâ ejusdem testamento & eodem successionis genere pluribus ut pluribus legatâ. In quâ descriptione illud vel maximè notandum venit, quòd concursu demùm conjunctorum res legata sit dividenda, relinquitur ergò quòd antè concursum, hoc est ab initio, antè aditam hæreditatem aut legati præstationem singuli solidum habuerint; Quod tamen cum dicimus, non hoc significamus, singulos simpliciter habere solidum, aut unumquemque solidum petere posse, non expectato casu, quo alter deficiat, aut alterum rem, alterum æstimationem consequi; quod hodiè non obtinet, nisi manifestissimum sit ex scripturâ, testatorem solidum ad utrumque pervenire voluisse. *l. un. §. ubi autem. C. de Cad. toll. l. si pluribus. 33. ff. de leg. 1. triplici. 142. D. de V. S. l. re conjuncti. 89. D. de leg. 3.* Videndum igitur est, quinam ex triplici istâ conjunctione ab initio solidum habeant, & concursu partes; Anque inter omnes jus accrescendi locum habeat? Et responderi potest, in omnibus hoc procedere, inque iis jus accrescendi locum habere, non tantum

tantum in reali & mixta, sed & verbali quoque conjunctione
l. unic. C. de Cad. toll. & all. l. re conjunct. 89. ff. de leg. 3. Et de his
omnibus Imperator noster ait, *in §. 8. §. de leg.* quod si eveniat
talis casus, quo una eademque res duobus vel pluribus legata
sit, sive conjunctim sive disjunctim, si quidem uterque & pos-
sit & velit legatum capere, res legata aequaliter inter eos divi-
ditur, seu scinditur, i. e. in partes aequales seu viriles dividitur.
l. 19. §. f. ff. de leg. 1. l. cum questio. 23. C. de leg. Si vero alter de-
ficiat, quia vel noluit, vel non possit suam capere partem, al-
teri tota res debetur, eique alterius deficientis pars accrescit.
Nec quicquam referre videtur ipso jure, an ope exceptionis
pars defecerit; propter regulam juris antiqui, quae dicitur. Ni-
hil interesse ipso jure quis actionem non habeat an per exce-
ptionem infirmetur. *l. nihil interest. 112. ff. de R. §. Duaren. lib. 1.*
de jur. accresc. Sciendum autem est omnes conjunctos, non
aeque esse conjunctos, sed alios aliis conjunctiores; Prae-
feruntur enim interdum alii aliis: Sic quos oratio conjungit ma-
gis conjuncti sunt, quam quos conjungit res, oratio separat;
unde est, quod hi cum illis comparati disjuncti passim appel-
lentur, illi soli conjuncti. *arg. l. plane. 34. in pr. ff. de leg. 1. l. ha-*
redes. 63. ff. de hered. inst. l. un. §. 10. & seq. C. de Cad. toll. Prae-
feruntur igitur verbis tantum conjuncti re conjunctis, per al-
leg. l. un. C. de Cad. toll. Quia verbis tantum conjuncti propter
unitatem sermonis quasi in unum corpus redacti censentur.
Dixi supra jus accrescendi locum saltem habere, si ad eandem
rem plures vocati sint, seu quando res una pluribus legata est:
Excluduntur igitur diversarum rerum legatarii, sive singulis
legetur separatim, puta hoc modo: Titio Stichum do, lego;
Moevio Pamphilum, do, lego. Sive etiam una oratione con-
junctim, ut Titio & Moevio singulos servos do, lego, *l. hujusmo-*
di. 84. §. pen. ff. de leg. 1. Ut & ii quibus singulis partes ejusdem
rei legatae sunt, hoc modo. Moevio fundi illius partem dimi-
diam; Sejo partem dimidiam do, lego. Non enim intelli-
gitur res eadem legata, sed altera atque altera, & diversae singu-
lis, ac proinde cessat jus accrescendi, unoque deficiente pars
ejus non ad collegatarium, sed ad heredem pertinet. *l. 1. in*

C

fine

Ane. pr. ff. de Usufr. accresc. Ratio autem quare utrorumque concursu fiant partes, cum tamen singulis solidum relictum sit, videtur esse hæc, quia, cum tota res utriusque legata sit, quæ tamen utriusque non potest solida dari, videtur hæc esse voluntas testatoris sit æqualiter inter eos dividatur. Hæc tamen conjectura voluntatis testatoris ita demum admittitur, si non ex verbis manifestum sit, eum voluisse rem priori auferre & posteriori tantum adjicere, hoc enim casu posteriori soli debetur. *l. 33. D. de Leg. 1.* Dixi, istis accrescendi locum saltem habere, si altera pars deficiat, vel ob incapacitatem, vel ob neglectum, & hoc verum esse apparet ex eo, quia formale requisitum juris accrescendi est defectus portionis, quæ accrescere dicitur, eamque causam sine quâ non appellare possum cum *Svevio. lib. 2. de jure accresc. c. 1.* Necessè est enim partem legati deficere, ut accrescat alteri. *Duarenus lib. 1. de jure accresc. c. 18.* Cur autem uno deficiente alteri debeat res solida, ratio est, quia testator utriusque rem in solidum legavit. *l. unic. §. sin. verò C. de caduc. toll.* quæ tamen portio deficiens accedit portioni occupatæ, non personæ, i. e. accedit personæ, non ut ei legatum est, sed ut legati portionem acquisivit, quod & alluvionis natura, ad cujus similitudinem jus accrescendi est introductum, arguit. *l. 1. C. de alluv.* Semel autem acquisita pars amplius deficere nequit, cum in proprium acquirentis patrimonium sit conversa, ideoque cum cæteris ejus bonis ad hæredes transit. *l. unic. C. quando non pet. & d. l. unic. §. 5. C. de Cad. toll.* Et licet postea eam quis habere noluerit, aut amiserit, ea tamen conjuncto non accrescit, sed plerumque tanquam pro derelicto habita occupanti mox conceditur; excepto usufructu, qui etiam acquisitus & postea amissus nihilominus jus accrescendi admittit. *l. 1. §. 3. ff. de usufr. accresc. Dominus Svevius de jure accresc. lib. 2. c. 1. in fine.*

THESIS VIII.

De

Causis destruentibus.

Pertractavimus hætenus causas, per quas legatum con-

sistit

stitutum vim suam atque vigorem habere solet, necesse quoque erit ultimò, ut circa destruentium causarum numerum aliquantisper occupati simus. Infirmatur autem legatum vel ab ipso testatore, cum ambulatoria sit voluntas defuncti usque ad supremum vitæ exitum *l. 4. ff. de adim. & transf. leg. l. cum hic status. 32. §. 3. ff. de Donat. inter virum. l. unum. 67. pr. ff. de leg. 2. & quidem i. ademptione, eaque vel expressâ *pr. l. de adempt. legat. l. 2. ff. eod.* Et tunc vel eodem testamento, in quo ipso iure tollitur legatum, adeò, ut iudex, hærede etiam tacente, legatum non teneri pronunciare sit obnoxius, cum ipsi testamento insit ademptio, nec possit iudici non liquere per *l. unic. C. ut quæ desunt Advoc.* Ast verò ubi legatum in alio testamento perfecto vel codicillis ademptum est, licet ipso iure ademptio existat, non tamen alteri iudex contra hæredem pronunciare tenetur, nisi hæres exceptionem facti & intentionis proposuerit, *Bart. in l. si ita sit adscriptum. 14. ff. de leg. 1. quia iudici eo casu potest non liquere; Sive etiam sine ullâ scripturâ, quia voluntas sola sufficit ad infirmanda legata. l. si jure. 18. ff. de leg. 3. Vel tacitâ, ex alienatione voluntariâ à testatore adimendi animo factâ. l. legatum. 24. §. 1. ff. de adim. leg. Adimendi autem animo factam esse, hæredi probandum incumbit. l. Fideicommissa. 11. §. 12. ff. de leg. 3. l. prædia. 27. §. 3. ff. de Instruct. vel instrum.* Sciendum verò est, quòd si talis alienatio vel ademptio legati accidat, illam fieri vel in totum vel in partem *l. scribit. 34. §. 1. ff. de aur. & arg. leg.* adeò quidem, ut nec reviviscat legatum, licet à testatore redempta fuerit res legata. *l. cum servus. 15. ff. de adim. leg.* Nisi vel post redemptionem de novâ testatoris voluntate constet, eamque legatarius probare paratus sit, *d. l. 15. l. qui cum alio. 19. §. 1. ff. de reg. juris.* Quid verò si testator rem legatam post factum testamentum alii oppignoraverit, tunc nihil videtur adimere voluisse. *l. qui post testamentum. 3. C. de Leg.* Per rationem, quia quando res libera antea legata postea obligatur, tunc per illam obligationem non revocatur legatum, sed potius præsumitur mentem testatoris fuisse, rem legatam liberâ legasse, & hæredi hoc onus injecisse*

ut liberam ab ære alieno præstet rem legatario. *Andr. Rauehb. quest. 16. n. 7.* Nisi contrarium de mente testatoris ex testamento appareat, h. e. quod animo adimendi oppignoraverit, *s. si rem. 12. Inst. de Leg. quem tamen habuisse non præsumitur, qui urgente necessitate rem legatam oppignorat. l. Fideicommissa. 11. §. 12. ff. de Leg. 3.* Nam & ejus Dominium retinet, ac animū luendi & recuperandi conservat, quia in omni obligatione semper est spes reversionis. Dixi supra infirmari legata ab ipsâ testatoris ademptione, eaq̄ve vel expressâ vel tacitâ, sub quam quoq; referri posse censeo capitalem simultatem testatoris & Legatarii. *l. si quis. 3. §. 11. ff. de adim. leg. l. si inimicitia. 9. pr. ff. de his que ut indign. aufer. nisi redierint in gratiam.* Tacitè quoq; revocatur legatum, quando legatarius ante traditionem legati post mortem testatoris stupravit ipsius uxorem, tunc enim auferitur ab eo tanquam ab indigno. *Glossa. in l. Fideicommissa. 27. C. de fideicommiss.*

2. Translatione, cum legatum ab uno ad alium transfertur, puta Stichum, quem Titio Legavi, Sejo, do, lego. *§. 1. Inst. de adim. leg. l. sicut. 5. ff. eod.* quodve procedit, etsi is, in quem transfertur legatum, ejusdem non sit capax, cum hic defuncti voluntas eo ipso sortiatur effectum, quod se velle adimere declaret, hoc enim ad adimendum sufficit. *l. licet transferatur. 20. arg. l. legatum. 24. §. 1. ff. de adim. leg.* Si verò is, in quem legatum transfertur, ex testamento capere possit, tunc semper legatum iisdem conditionibus migrat in ipsum, quibus priori fuit relictum, nisi sit conditio, quæ priori personæ cohæreat. *l. legatum sub conditione. 24. ff. de adim. legat.*

Consideratis nunc legatorum modis infirmandis, ad legem Falcidiam, quæ minuendi modus appellari consuevit, ultimò accedimus. Data est autem hæc lege potestas hæredi supra modum onerato legatis, quartam partem omnium bonorum, quæ tempore mortis testatoris, non aditæ hæreditatis fuerunt, quicquid enim post mortem testatoris, hæreditati seu quantitati patrimonii accrescit vel decrescit, illud non legatario sed heredi accrevisse vel decrevisse intelligitur, uti explicat
Impe-

Imperator noster in §. 2. Instit. de L. Falc. detrahendi. pr. Inst.
all. L. Falc. Ulp. in fragm. tit. 24. §. 30. Antequam verò ratio
Legis Falcidiae in hereditate locum inveniat, deducendum est
1. æs alienum, ob id certè, quia bona cujusque ea intelligun-
tur, quæ deducto ære alieno supersunt. l. 1. §. ult. ff. ad L. Falcid.
l. in imponenda 6. C. eod. In defunctorum enim bonis non nu-
merari scimus omnia, quæ cum moriuntur, habuerunt, sed id
solum quod hereditariis oneribus deductis superest, quo in nu-
mero etiam ponendum est, si quid ei testator debuerit quem
heredem instituit, all. l. 6. l. irritum. 8. C. eod. l. qui fundum. 87. ff.
eod. 2. funeris impensæ. l. Papinianus. 8. §. 9. ff. de inoff. test. quæ adeò
æri alieno comparantur, ut etiam omne creditum præcedere
debeant, quando hereditas solvendo non est l. impensa 45. l. & si
quis 14. §. 1. ff. de relig. & sumpt. funa. sub quorum appellatione
illæ etiam impensæ veniunt, quæ erogatæ sunt in locum i-
stum, in quem mortuus infertur. l. & si quis. 14. §. funeris. 3. ff. de
Relig. & sumpt. fun. 3. Pretia servorum manumissorum, nec tan-
tum eorum, qui testatoris proprii fuerunt; verum etiam quos
heres cum alieni essent redimere & manumittere rogatus est.
§. cum autem. 3. l. ad L. Falc. Hæ si deductæ fuerint, tum demum
ratio Legis Falcidiae obtinet, cujus beneficio quartam suam
non tamen in unâ re invitis legatariis heres detrahere pot-
est. Auth. Res quæ. C. commun. de leg. Cessat autem ratio Legis
Falcidiae, si 1. heres inventarium facere neglexerit. l. scimus. 22.
§. 12. C. de jure delib. 2. cum testator eam expressè prohibue-
rit. Auth. sed cum testator. C. ad L. Falcid. Nov. 1. cap. 2. in fine.
3. Cum heres in legatis ad pias causas præstandis moram com-
miserit. Nov. 101. 131. cap. 12. in pr. arg. l. 1. §. 5. ff. ad muni-
cip. Auth. similiter. C. ad L. Falcid.

EPILOGUS.

Fastigium hic impono Dissertationi lector benevole, singulariter rogans tuam humanitatem ut brevitati meæ in tam amplissimæ hujus materiæ juris enucleatione ignoscere velis; Majorem quidem in præsentiarum uberiolemq; instituti mei ratio efflagitasset curam atqve diligentiam, sed veritus, ne, si meo resisteret conatui magnitudo operis atqve propositi, infelici quodam fato à perfectione hujus operis, quod iis ferè qui primis saltem labris amplissimum hocce juris studium delibarunt, accidere solet, retraherer. Nec insuper quoque fuit animus tractatu quodam longissimo nobilissimam hancce Legatorum materiam persequi, adeoque prolixiori stylo eam comprehendere, hoc enim temeritatem ac arrogantiam ingenii mei summam indicaret, sed necessaria saltem ea, quæ in uberiolem hujus materiæ explicationem veniunt, breviori quodam

dam complexu ostendere visum fuit. Sus-
cipe igitur amice Lector præsentem Dis-
sertationis meæ in concinnitatem fronte
quàm serenissimâ, eo enim ipso cuivis ju-
ris studioso summum officii singulareqve
amicitiæ persolvis debitum, spero huma-
nitati tuæ impofterum occasione datâ me-
liora doctioraqve à tenuitate mea proven-
tura, cujus intereà favori ac benevolentia
totum me deditum atqve com-
mendatum volo:



AK 77 938

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, possibly a signature or date, located in the center of the page.

Handwritten text, possibly a date or number, located in the bottom right corner.

Vertical text on the right edge of the page, possibly a library or collection identifier.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2000
Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

